



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

66. Quid in sacrificio Dei offeri debeat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

Ut nihil aliud in sacrificio Domini offeratur  
præter id quod Dominus statuit. *Ex  
canonibus Apostolorum tit. III.*

L X I I I . Si quis Episcopus aut Presbyter  
præter ordinationem Domini alia quædam in  
sacrificio offerat super altare , id est , aut mel,  
aut lac , aut pro vino siceram , aut confecta  
quædam , aut volatilia , aut animalia aliqua,  
aut legumina , contra constitutionem Domini  
faciens , deponatur de gradu.

Quæ species ad altare , non ad sacrificium,  
sed ad benedictionem simplicem debent  
offerri. *Ex canonibus Apostolorum  
tit. IV.*

L X I V . Offerri non liceat aliquid ad alta- Burchard. lib.  
re præter novas spicas & uvas & oleum & thy-  
miana , id est , incensum , tempore quo sancta  
celebratur oblatio.

Ut ea quæ in Ecclesiis offerri non possunt,  
ad domos sacerdotum à fidelibus  
deferantur. *Vbi suprà tit. V.*

L X V . Reliqua poma omnia vel primitiæ  
ad domum Episcopi & Presbyteri dirigantur,  
nec offerantur in altari. Certum est autem  
quod Episcopis & Presbyteris & Diaconis &  
reliquis Clericis dividantur.

Quid in sacrificio Domini offerri debeat.  
*Ex Concilio Vuormaciensi cap. XXIX.*

L X V I . In eucharistia non debet aqua pu- Concil. Brz-  
char. 3. c. 2.  
Concil. Vuor-  
mac. c. 4.  
ra offerri , ut quidam sobrietatis causa fallun-  
**D iiiij**

Burchard. lib. 5. c. 2.  
Marth. 26. d.

tur, sed vinum cum aqua mixtum, quia & vi-  
num in redemptionis nostræ mysterio fuit,  
cùm dicat: *Non bibam de hoc genimine vitis;*  
& aqua mixtum, quod post cœnā dabant.  
Sed & de latere ejus aqua cum sanguine egrē-  
sa, vinum de vera carnis ejus vite cum aqua  
expresē ostendit. Cùm igitur magister veri-  
tatis verum salutis nostræ sacrificium com-  
mendaret suis discipulis, panem tantū & ca-  
licem sub hoc sacramento præbuisse cognoscim-  
us. Ideoque præter panem & vinum cum  
aqua mixtum aliud offerri non debet. Calix  
enim dominicus vino & aqua permixtus debet  
offerri; quia videmus in aqua populum intel-  
legi, in vino verò ostendi sanguinem Christi.  
Ergo quando in calice vino aqua miscetur,  
Christo populus adunatur, & credentium  
plebs ei in quem credidit copulatur & jungit-  
ur. quæ copulatio & conjunctio aqua & vino  
sic miscetur in calice Domini ut commixtio il-  
la non possit separari. Nam si vinum tantū  
quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine  
nobis. Si vero aqua sit sola, plebs incipit esse  
sine Christo. Non potest enim calix Domini  
esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrum-  
que sibi misceatur.

De calice Domini. Ex Concilio Remensi  
titulo VIII.

Burchard. lib. 3. c. 96. & Di-  
citat. c. 45.

LXVII. Ut calix Domini cum patena, si  
non ex auro, omnimodis ex argento fiat. Ne-  
que causentur Presbyteri, avaritia suadente,  
de paupertate vel impossibilitate, cùm una  
pars ex omnibus quæ ad Ecclesiam pertinent